UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Dominica Passionis. 28. Quàm vehemens & ardens Christi desiderium fuerit se pro nostra salute cum Cruce desponare. 2. Quodque scelerati bonum hoc lapidibus blasphemiæ compensent.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

ſpectat tanta harum mulierum feſtinatio? Cur non ſenſim & ſenſate progrediuntur? Etenim pro hujus faciliori intelligentia obſervanda eſt laudabilis quædam S. Matris Eccleſiæ conſuetudo, cujus mentionem facit Guilielmus Durandus, qui dicit, quod ſi Anniverſarium quoddam pro anima alicujus defuncti in die Dominica celebrandum occurrat, contrarium faciendum eſſe ejus quod Eccleſia facere ſolet in translatione Feſti alicujus ſancti, cum enim officium de tali ſancto celebrandum differatur ad diem ſequentem non impeditum, Anniverſarium tamen defuncti non debeat differri in diem ſequentem ſed potius præferri, ſeu præponi in diem quæ Dominicam immediatè antecedit: *Anniverſarium ſi contigerit in die Dominica, vel in aliqua celebrari ſolemnitate, non debet trahi ad ſequentem diem, prout fit in feſtis Sanctorum, ſed fiat in die præcedenti.* Et ratio hæc eſt, *ut citius occurratur pœnis defunctorum, quas in purgatorio ſuſtinent.* Et hinc quoque fit, quod Martha *currit*, & Magdalena *ſurgit cito*, ut ſcilicet nobis per hoc inſinuent, quod quando agitur de beneficiis vel ſuffragiis mortuis impendendis, prouti hæ duæ ſorores defuncto fratri ſuo facere intendebant, cavenda ſit omnis mora ſive dilatio, maximaque cum ſollicitudine ad Dominum recurrendum eſſe: *Ut omnem amputantes moram celerius ad Chriſtum irent, ejuſque fratris mortem miſerationis affectu nuntiarent.*

19. Adhæc mortuis impendenda ſuffragia, non ſolum cum ſollicitudine, verum etiam cum aſſiduitate ſingulari expediti debent; non vero ſequendum eſt more nonnullorum, qui poſtquam unam Miſſam pro defuncto celebrari curarunt, abundè ſe ſatisfeciſſe exiſtimantes, ab omni ulteriori illis bene faciendi conatu deinceps deſiſtunt. Porrò Dionyſius Carthuſ. dicit, non eſſe prætereundum vel unicum diem ſine expreſſa & efficaci defunctorum Fidelium memoria: *valde decens & pium eſt, ut quilibet Chriſtianus etiam quolibet die aliquid boni agat pro univerſis fidelibus defunctis,* Idemque Salvator noſter perſuadere voluiſſe videtur per diverſorum actuum frequentiam, quos in reſurrectione Lazari exercuit, quia nunc *infremuit ſpiritu*; nunc *lachrymatus eſt*, nunc *venit ad monumentum*, nunc *elevat ſurſum*; nunc æterno Patri ſuo gratias refert: *Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me:* Demum vero *Clamavit voce magna, Lazare veni foras.* Id quod B. noſter Simon Caſſianus conſiderans dicit: *Ingeminat actus, & iterat actiones.* Idque nobis in documentum eſſe debet, quo inſtruimur, quod ab actibus charitatis erga mortuos nunquam ceſſare debemus, ſed *Ingeminare actus, iterare actiones.* Ita fecere amici Neronis, licet gentiles eſſent, dum ejus ſepulchrum novis ſemper floribus conſperſerunt: *Non defuere qui per longum tempus vernis æſtiviſq; floribus tumulum ejus ornarent.* Ita Ovidius morti proximus Conjugem ſuam rogavit, ut mox ſibi exequias & funeralia celebrari curaret:

*Tu tamen extincto feralia munera ſemper*
*Deq; tuis lachrymis humida thura dato.*
*Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis*
*Sentiet officium mœſta favilla pium.*

Exempla hæc inſtar calcarium nobis deſervient quibus ad benefaciendum & ſuccurrendum animabus Purgatorii deſolatis, illaque obſequia & ſuffragia continuanda ſollicitemur; Interea præſentem diſcurſum hiſce S. Patris noſtri Auguſtini verbis concludo. *Feſtinemus ergo ô fratres pro defunctis exorare, & ipſi feſtinent nos ad ſe vocare.*

*Dionyſ. Carthuſ. in comm. anim.*

*B. Simon Caſſ. l. 5. c. 15. in Evangel.*

*Sueton. in Nerone.*

*Ovid. l. 3. Triſt. Eleg. 3.*

*Aug. T. 10. ſerm. 44. ad FF. in Eremo fol. 301. col. 2. l. E.*

## SERMO XXVIII.

# IN DOMINICAM PASSIONIS.

*Quis ex vobis arguet me de peccato,* Joan. cap. 8.

1. CHRISTUM Dominum Redemptorem noſtrum, non ſolum innocentiſſimum & impeccabilem fuiſſe, ſed nequidem fomitem vel propenſionem aliquam ad peccandum habuiſſe, certiſſimum eſt apud omnes Theologos, omnibuſque qui ſacra Catholicæ fidei dogmata inviolabiliter profitentur, prorſus eſt manifeſtum; idque ob multas

*Tolet. in c. 8. Io. adnot. 19.*

rationes, ſpecialiter, *quia peccare naturæ non eſt, ſed perſonæ* (inquit Cardin. Tolet.) *cum igitur illa perſona eſſet divina, & ille homo Deus verus eſſet, peccare nulla ratione poterat.* Sicut etiam (ita

*Aug. l. 4. de conſ. Evang. c. 10.*

enim docet S. Auguſt.) *Chriſtum Deum vidiſſe ab inſtanti Incarnationis, & animam ejus divinam eſſentiam apertè intuitam eſſe*, quæ ſunt proprietates tales quæ impeccabilia reddunt ſubjecta illa in quibus inveniuntur. Atque ideo ſi reſpectu unionis Hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ ſanctiſſimus erat, quænam igitur eum urgebat neceſſitas ut hodie ad hoc ut ſe talem eſſe oſtenderet, veſte ſe innocentiæ ſuæ veſtiret, pulchrum illius candorem exhibendo iis, qui eum accuſabant, dicendo. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis unquam lynceus oculus verè reprehendere potuit irreprehenſibiles ejus actiones? Quænam auricula adeo expurgata unquam fuit, quæ dicere poſſit ſiniſtrum ſe de eo verbum vel minimum rumorem audiviſſe? Quis unquam criticus ſine paſſione vel minimum in toto vitæ ſuæ curſu nævum obſervavit, vel geſtum aliquem incompoſitum, qui aliquam quantumvis minimam emendationem poſtularet? (

*Orig. ibid. in cat. D. Thom.*

Habet hoc verbum Chriſti magnam fiduciam, cum nullus hominum fiducialiter hoc dicere potuerit, niſi ſolus Dominus noſter qui peccatum non fecit, inquit Orig. Quonam igitur fine comparet in templo chlamydem Herminii & puritatis candorem publicè exhibendo? Enimverò ad illam reſpiciatis antiquorum Romanorum conſuetudinem, & ſubitò præſentis difficultatis habebitis ſolutionem. Quiſquis enim à Senatu Romano aliquod honorificum prenſabat ſeu prætendebat officium, obligabatur in congreſſibus publicis comparere habitu quodam albo indutus, ac proinde quamdiu in illa perſeverabat, prætenſione candidati titulo inſigniebatur, ut refert Alexand.

*Alex. ab Alex. l. 4. dier. g. c. 3. f. 1, 4.*

ab Alexandro. *Candidatorum mos fuit, cum comitia fiunt, & in ſuffragium cives vadunt, in candida veſte ſine toga in campum deſcendere.* Id quod etiam Blondus confirmat, dicens: *Rationem ſolam fuiſſe conſtat deferendi candidam veſtem, ut petituros inſignes magiſtratus oſtenderet alba veſtis.*

*Blond. Flav. c. 2.*

Hac veſte veſtitus Cato qui major dicebatur comparuit, quando concurrente M Attilio prætendebat conſulatum: veſtem quoque albam

*Rom. triumph. Tit. Liv. 41.*

ſibi impoſuit Claudius ad aſſequendum prætenſionis ſuæ intentum, prouti videri poteſt apud Titum Livium. Unde ex quo Salvator noſter hodie in conſpectum totius populi egreditur, veſtitus, ut videtis, candida veſte extrinſecus, & intrinſecus nivea innocentiæ veſte indutus, dicendo: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* hinc firmiter mihi perſuadeo, eum per hoc veluti dicere voluiſſe, cum puritatis meæ candor niveam liliorum albedinem ſuperet, cur non inter eos connumerari prætendam, qui ad dignitates aſpirant & anhelant. Tunc ô veriſſimum bonum meum candidatus videri vis? quiſnam igitur eſt honor ille in quem te deſideriorum tuorum alæ ferunt? Num fortè tanquam ſupremus Legiſlator Moſaicam legem abolere, & aliam quandam quæ Religionis Chriſtianæ ſpectet incrementum ſtabilire deſideras? Nequaquam, quia *Non venis ſolvere legem ſed adimplere?* Aut prætendebas tanquam civis Judææ conformiter aliis nobilibus in publicis privatiſque Synagogæ conſiliis admitti, tanquam conſultor inter Rabbinos, atque civitatis præeminentias ambire? Nec hoc de eo dici poteſt, ſiquidem Propheta de eo ait: *Conſilium ejus non eſt cum impiis.* Cur igitur candida innocentiæ veſte te hodie induis, & veluti candidatus aliquis omnium te oculis exponis? quænam ſunt prætenſiones tuæ ô mi benigniſſimè Salvator? Habebat Hebræorum populus vacans quoddam officium, ſive dignitatem diſpenſandam, nimirum eſſe magnum Commendatorem S. Crucis; atque ideo velut candidatus hodie in publico comparet, qui ad hoc officium adſpirabat, ſeque illius prenſatorem eſſe manifeſtè declarabat, utpotè dignitati ſibi quàm maximè debitæ, & oneris humeris ſuis quam maximè proportionati. Unde S. Ephr. Syrus exclamavit. (O ineffabilem immenſamque bonitatem benigniſſimi Dei, qui tam magna tamque præclara munera humano generi, Crucis indulſit vexillum.) In præſenti itaque diſcurſu favente Spiritu S. videbimus, quantum Chriſtus hoc officium deſideravit, cur illud adeo expetierit, & quinam illum impedire conentur ne illud aſſequatur, ſpoliando eum candida innocentiæ & puritatis ſuæ veſte. Non tamen omittam vos monere Crucem proprium eſſe ſilentii ſymbolum, ac proinde quando S. Hieronym. ſilentium obſervari volebat: *Crucis ſignum pingebat in labiis.* Vos quoque ſimiliter facite, dum ego materiam promiſſam proſequi incipio.

2. Vanitas eſt crucem Jeſu Chriſti illis prædicare qui proximi ſunt præſcriptis æternæ damnationis; illis namque gratius foret ſi de mundanis obſcœnitatibus cum illis ſermocinaretis. Nobis autem qui gradimur per viam ſalutis, qui-

que ope divinæ miſericordiæ eandem conſequi ſperamus, gratius nihil dici poteſt, quam ſi de iis agatur diſcurſibus qui in SS. Crucis gloriam redundant: *Sermo Crucis* (dicebat S. Joan. Damaſc.) *iis qui pereunt ſtultitia eſt, nobis autem qui ſalutem reſpiramus, virtus Dei.* Illam Crucem deſiderat Dominus, in cujus virtute *Mors primi parentis deſtructa eſt, peccatum ſolutum, Infernus ſpoliatus. Reſurrectio donata, porta Paradiſi patefacta, & nos filii Dei & heredes facti ſumus,* inquit idemmet S. Chriſtus; ad nihil adeo ardenter aſpirat, ſicut ad aſſecutionem Crucis; ſine Cruce non videtur eſſe contentus; quia in ſola Cruce ſuam invenit quietem. Liceat mihi veſtra venia, ô Auditores (ex quo S. Epiph. nomen Crucis Mariæ conceſſit dicens: *Dico Mariam eſſe cælum ſimul & Crucem*) liceat inquam mihi ut ego viciſſim Cruci unum eorum titulorum attribuam, quibus S. Patres Mariam honorare ſolent; inter quos S. Bernard. eam centrum Dei appellat: *Maria eſt centrum Dei,* quod epithetum etiam aliqua ratione Cruci debetur: *Crux* etenim *eſt centrum Chriſti.* Idque non tantum ideo, quod ſicut Maria in utero ſuo clauſit verbum incarnatum: ita quoque Crux intra ſinum ſuum ſuſtinuerit Chriſtum crucifixum & paſſum. Verum etiam ob alias cauſas longe ſublimiores.

3. Sponſa cæleſtis devota quadam curioſitate noſcere deſiderabat, ubinam Sponſus ſuus in meridie paſceret & cubaret: *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie,* vel ut alii legunt: *ubi quieſcas in meridie,* videte mirum ſponſæ hujus geſtum. Cur obſecro non deſiderat potius ſcire ubi labores veſperi ſub crepuſculum, aut manè ſummo diluculo, ſed tantum ubi quieſcat in meridie: fortè id quærit quia hora illa æſtivo tempore inter omnes alias moleſtior eſt? aut fortè de illo *ubi* quærit, quod habuit, quando extenſus erat in cruce; de illa inquam *meridie* ſub qua hora ſexta *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram?* Hoc autem opinione mea ſuſtineri non poteſt quia dicit *ubi paſcas, ubi cubes,* vel *ubi quieſcas;* in cruce autem erat inter dolores, non inter cibos, non fruebatur ibi quiete, ſed pœnas patiebatur & anguſtias, Atque ideo conjicere non valeo, quidnam ſponſa illis verbis prætendat: *Ergo in cruce manducavit & bibit, & ebriatus eſt, & dormivit?* inquit Drogo Epiſc. Oſtienſ. Sæpenumero intra memetipſum cauſam ſcrutatus ſum, cur Deus in admirando & ſtupendo opere univerſi, præcisè ſeptimo die, non vero alio aliorum antecedentium dierum requieverit? ſcio equidem Deum ſubjectum non eſſe laboribus, fatigationibus, & conſequenter cum defatigari nequeat, nulla ipſi opus eſſe quiete. Nunquid primo die quieſcere poterat poſtquam cum tanto artis magiſterio cœlum tot ſtellis diſtinctum, & terram tot arboribus locupletatam, totque floribus exornatam creaverat? Id quod etiam M. illum Mediolanenſ. Archiep. S. Ambroſium non immeritò in admirationem rapuit, quando ait: *Fecit cælum & non lego, quod requieverit: Fecit terram, Solem, & Lunam & ſtellas, & non lego quod requieverit:* Similiter in alterutro dierum reliquorum ante ſeptimum requieſcere poterat, quidnam igitur boni aut grati diei ſeptimo ineſſe poterat, quod is præcipuè dies divinæ Majeſtatis genio mirè adeo arridebat? petamus hac in re informationem aliquam à S. Ambroſ. ipſe etenim nobis dicet: *Lego quod fecerit hominem & tunc requievit* Mira profectò res! Noluit quietem capere in cœlo, nec in terra, nec in floribus, nec in mari, nec in Angelis, ſed in ſolo homine die ſeptimo creato: *Requievit ab omni opere quod patrarat* Quidnam autem boni ineſſe poterit homini, quod is ſolus inter omnes alias creaturas hunc honorem commeruit, ut fieret requies quædam ſui Creatoris, in qua is quieſcat ſuaſque habeat delitias & conſolationes. Porrò punctum difficultatis iſtius ſine doctrina S. Anaſt. Sinaitæ aſſequi minimè valebimus, hic etenim dicit, hominem à Deo in ſimilitudine & figura crucis creatum eſſe; curare enim ut homo caput erigat, extendat pedes ſeu tibias, & aperiat brachia, & expreſſam cernetis ex eo efformatam Crucem: *Homo ad formam Crucis figuratam habet imaginem, ut qui ſit ad imaginem Chriſti crucifixi.* Idem quoque Gretſerus confirmat, dum ait: *Homo expanſis manibus Crucem repræſentat.* Unde Septim. & Timoth. Antioc. dicunt, quod quando Moyſes ſtabat in monte tenens brachia aperta & populus Dei inde evaſerit victor adverſus Amalechitas, id in figura ſignificarit, futurum ut Chriſtus in Cruce de omnibus ſuis noſtriſque inimicis per crucem glorioſam reportaret victoriam: *Cumque levaret Moyſes manus* (ecce Crucem) *vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech;* ſubjungit Septim. *Crucis habitus quoque erat neceſſarius, per quem Ieſus victoriam eſt relaturus.* Id quod egregium eſt teſtimonium, per quod convincitur, quod homo anguſtiatus in

figura

Margin notes: Damaſc. — Idem S. Chriſt. — D. Epiph. — Cant. 1. — Luc. 23. — Drogo de Paſſ. Dom. — *Gen. 2.* — *S. Anaſt. ſina l. 1. Anag. contemp. in Gen.* — Exod. 17.

figura ſupradicta figuram in ſe contineat Crucis. Nunc ad propoſitum noſtrum, à quo nonnihil digreſſi fueramus, revertamur: Deus itaque nullum inter omnes ſeptem dies invenit aptiorem, magiſque proportionatum diem, quam diem ſeptimum in quo quieſcat, delitietur, & gaudeat, quia in diebus præcedentibus homo nondum creatus erat. Terra, Cœli, Sol, Luna, ſtellæ, Elementa, mare, piſces, flores, arbores figuram Crucis non referunt ut homo; ac proinde in homine requieſcere voluit, non tanquam in homine, ſed tanquam in Cruce per hominem repræſentata; niſi fortè cum Beda & aliis dicere velimus, quod in numero ſeptenario utpotè qui ex duobus numeris quaternario nimirum & ternario compoſitus eſt homo ſignificetur, tanquam in ſe continens quatuor elementa, & tres animæ potentias, memoriam ſcilicet, intellectum, & voluntatem. Concludamus igitur tandem Deum in nulla alia creatura quietem inveniſſe, niſi in homine, *Non quia homo ſed quia Crux*. Atque ideo ô ſponſa dilectiſſima, deſideraſne ſcire ubinam hora ſexta, id eſt, *in meridie*, quieſcat & delitietur dilectus ſponſus & Dominus tuus? *ubi cubet, ubi quieſcat?* oculos igitur tuos in montem Calvariæ deflecte, ibi namque eum in Cruce quadam transfixum videbis: Optimè dixiſti: *ubi cubes, id eſt, ubi quieſcas*, quia extra Crucem nulla ei reperire poteſt ſatisfactio aut requies; ibi paſcitur, ibi delitiatur, ibi ſuaviter obdormiſcit; atque inde occaſionem ſumpſit Drog. Epiſc. Oſtienſ. ut hæc poſt ſe verba ſcripta relinqueret: *Circuire poſſum Domine cœlum & terram, & mare, & aridam, & nunquam te inveniam, niſi tantum in Cruce, ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridiè.* His igitur omnibus præſuppoſitis facilè vobis eſt intelligere quam meritò Cruci nomen centri conveniat, quod alias B. Bernardinus Mariæ attribuerat. *Crux eſt centrum Dei.* Porrò centrum duplicis generis eſſe reperitur, ut docent Philoſophi: *Aliud eſt Mathematicum & eſt punctum: aliud vero eſt naturale & ſphæricum circa quod movetur corpus circulare:* Crux non fuit centrum mathematicum, ſed Phyſicum, extra quod ſicut *Elementa violenter ſe habent & in eo quieſcunt*, niſi in igne & aqua clarè nobis idipſum commonſtrat experientia, ita Chriſtus Redemptor noſter extra crucem conſtitutus ut ita dicam violenter detinebatur: in Cruce autem *quieſcebat tanquam elementum in ſuo centro*; ac proinde hic centri titulus Cruci jure meritò debetur: *Crux eſt centrum Dei.*

*Beda l. 1. de templo Salom. c. 8.*

*Pet. Bong. c. de ſept. p. 212.*

*Drogo de Paſſ. Dom.*

*Ariſt. 8. phyſ. com. 76. Marc. Ant. zim. tab. ver. centrum.*

4. Beatiſſima Virgo Maria Jeſulum ſuum mox ut eum enixa fuit faſciis involvit: *Et pannis eum involvit*, inter quarum faſciarum arctationem conſtrictus flere cœpit: *Vagit infans inter arcta*, prouti à pueris fieri conſuevit. Mater quoque ejus eum ex brachiis depoſitum in præſepium collocavit: *Et reclinavit eum in præſepio.* Porrò duo præcipuè hac in re obſervanda ſunt. Primum eſt, cur Maria illum tanquam gemmam & theſaurum ſuum præſtantiſſimum inter brachia ſua non retinuerit, ſed potius eum è brachiis ſuis in præſepium reclinarit? Nunquid brachia tam ſanctæ Matris aptiores cunæ tam ſancti puerulі erant, quam paleæ & fœni ruditas & aſperitas? Porrò opinionem illorum admittere nequeo, dicentium Beatam Virginem Mariam id neceſſitate quadam feciſſe, quia non ſemper poterat brachiis Virginis aut Joſephi ſuſtineri, quia cum Jeſulum ſuum ſine ullo termino amarit, nullam eum brachiis ſuis ſuſtinendo ſentire poterat defatigationem, docente nos S. Patre noſtro Auguſtin. *quod qui amat non laborat, & ſi laborat, labor ille amatur.* Ac proinde alii melius reſpondent Beatam Virginem reclinaſſe Jeſulum ſuum in præſepio, quia bonum quod eſt omnibus commune, nullus ſibi tanquam proprium vendicare debet: Valde enim alienum eſt à ſanctitate communia bona ad ſe quoque coactare, inquit quidam modernus, ac proinde *reclinavit eum in præſepio.* S. Bernardus addit factum eſſe à Chriſto præſepium ad confuſionem [illegible] magnatum; *Quid ergo ſtabulum elegit? planè ut reprobet gloriam mundi & damnet ſæculi vanitatem.* S. Gregor. Nyſſen. *ut bos cognoſceret poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* C[illegible] ſipp. Hieroſolym. *In menſa beſtiarum proponitur panis cæleſtis ut ex hominum genere, his qui beſtiales erant, communicationem eſca myſtica exhiberet.* Nolo quoque hoc loco præterire, quod S. Zeno (ſerm. 3. de Nativ.) hiſce verbis dicit: *In ſtabuli præſepè deponitur, ſcilicet Chriſtus populorum paſtorem pabulumque ſe eſſe conteſtans.* Verum enimvero cur nos alias reſponſiones inveſtigando fatigamus, quando S. Evangeliſta Lucas veram & genuinam expreſsè ſatis manifeſtat, dicens: *Non erat ei locus in diverſorio?* Sed quid audio? Ergone nullus inveniri locus potuit, ſive parvus, ſive magnus: ſive dives, ſive pauper, qui ad eum recipiendum capax fuiſſet? Certiſſimum etenim eſt ipſum nihili unquam

quam

quam feciſſe ſuperbiſſima palatia periſtromatibus barbarorum opera ex auro & ſerico elaboratis undique veſtita, vel aureis argenteiſque vaſis quaquaverſum bene inſtructa, ſed quovis anguſto & modico hoſpitio ſemper fuiſſe contentum. Ergone credibile eſt, quod ne quidem inter cognatos & amicos Mariæ & Joſephi locus aliquis anguſtes & modicus reperiri potuerit? Etenim indubitatum eſt, non defuiſſe qui commoditatem ſufficientem ſatiſque amplam haberent ad recipiendum Jeſum cum parentibus; at vero *Non erat ei locus in diverſorio*, qui deſiderio & beneplacito ſuo adeo conformis eſſet ſicut præſepium. In hoc namque confusè inter ſe commixta erant fœnum cum fœno, & palea cum palea, quæ inter ſe mutuo diſtorquebantur & convolvebantur in forma & figura ✠. ✠. id eſt variæ multiplicatæ crucis. Cum igitur in hac tenellula ætate conſtitutus eſſet, membraque adhuc haberet nimis delicatula & immatura, velut dixiſſe videtur; Non denegentur mihi ad minus in hoc præſepium reclinato cruces ex ſtramine & fæno efformata, quæ mihi velut pignus quoddam erunt, quo ſecurus efficiar de aſſequendo tandem ſuo tempore ipſomet ſanctiſſimæ Crucis ligno; ac proinde præſepium iſtud cutrum meum eſt, hæ paleæ quies meæ ſunt, hæ ſtramineæ Cruces ſomnum mihi dulciſſimum adſciſcunt. Unde B Petrus Card. Damianus dicit: *Chriſtus in præſepio reclinatus, legem martyrii præfigebat*; q. d. Chriſto tanquam Martyrum Regi nullus præ cruce inveniri poſſe videbatur lectus aptior aut commodior. Unde doctus quidam Carmelitanus expoſitor aptè ſubjungit: *Meus Ieſus frigori impoſitus ſuper durum lignum accumbens, martyris paſſiones ac dolores jam ferre incipiebat.*

P. Dam. ſerm. 11. — Io. Syl. ... c. 4.

5. Chriſtum tanquam Judæorum, imò totius mundi Regem natum eſſe Herodes à Magis eum interrogantibus: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*, clarè ſatis intelligit; Et confeſtim ex ſuſpicione & metu Coronæ & imperii ſibi per eum ſuo tempore adimendi vehementer conturbatur. Et ſub extrinſeco quodam ſimulatæ cujuſdam lætitiæ, & fictæ cujuſdam reverentiæ pallio inteſtinum quoddam odium recondens, gloriam novi nati Regis jam pridem germinare & florere incipientem ferro detruncare decrevit: at vero Angelus Joſephum ſollicitè monuit, ut pro majori vitæ Infantuli divini ſecuritate, in Ægyptum effugeret: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* S. Petrus Chryſolog. hanc fugam admirans dicit: *Ex quo hoc præcipuè fine in hunc mundum venit, ut moreretur, cur nunc mortem declinat & fugit? Qui mori venerat, cur fugit mortem:* Moxque reſpondet, quod *Fuga Chriſti ſacramenti fuit, non timoris.* Verum inquies quodnam eſt latens ſub hac fuga myſterium? Origenes opinatur Chriſtum fugiſſe ad conſolationem ſervorum ſuorum perſecutiones patientium: *Fugit in Ægyptum, ut iis qui nomine Chriſti perſecutionem patiuntur, qui tribulationem tolerant, qui injurias perferunt, fortiter ſtent, viriliter prælientur, & ſemper meminerint, quia & Dominus à peccatoribus perſecutionem perpeſſus eſt, quoniam ab injuſtis contumeliatus eſt, & ab ipſis de loco in locum fugit.* Alias quidem recenſere hoc loco poſſem à ſanctis Patribus allatas rationes, eas tamen brevitatis cauſa pertranſeo, & unam pro omnibus ſufficientem futuram exiſtimo, quæ in alia quadam fuga continetur, quam Salvator noſter cepit, quando Hebræi nullo habito templi, in quo erant, reſpectu lapidare eum volebant: *Tulerunt lapides Iudæi, ut jacerent in eum; ipſe autem abſcondit ſe, & exivit de templo.* Enimvero aliquantiſper me laboraſſe fateor pro comparando mihi aliquo lumine ad penetrandam cauſam fugæ hujus è templo ne lapidibus obrutus mori cogeretur. Et quidem fatendum, non ineptam eſſe eam reſponſionem, qua dicitur hunc moriendi modum proprium eſſe illorum qui blaſphemabant, atque ideo ut ſe nec in illo crimine, nec in alio reatu culpabilem eſſe demonſtraret, ex conjectis in eum lapidibus mori noluit, ſed *abſcondit ſe & exivit de templo.* S. Cyrillus Alexandrin. eum hoc ad dandum nobis exemplum feciſſe dicit: *Vnde nobis memorabile relinquit exemplum, ut etiam cum reſiſtere poſſumus, iram ſuperbientium humiliter declinemus.* Et S. Gregor. opinatus eſt ſatius fuiſſe procul ab eis diſcedere, quam rationibus illos vincere vel ſuperare: *Glorioſius eſt injuriam tacendo fugere, quam reſpondendo ſuperare.* Horum equidem nec non & aliorum SS. Patrum opiniones veneror & amplector, in præſenti tamen illam Alcuini ſententiam, utpotè propoſito meo convenientiorem cæteris omnibus præfero. Quam proinde cum attentione auſcultate. Dicit igitur: *Ideo fugit, quia non venerat hora paſſionis, & quia ipſe non elegerat hoc genus mortis.* Noluit proinde Salvator noſter

Matth. 2. — Matth. 2. — Chryſol. ſer 150. & 151. — Orig. hom. 17. in Numer. — Ioan. 18. — S. Cyrill. ibid. l. 6. c. 12. — Greg. hom. 18 in Evang. — Alcuin. ibi in cat. D. Thom.

noſter ex lapidatione mori, quia ſingulariſſimus Crucis amator extitit, ac proinde *abſcondit ſe. & exivit de templo.* Quid mirum igitur ſi in Ægyptum fugerit, neque ſub Herodis crudeli tyrannide una cum aliis innocentibus ferro trucidari voluerit; licet per hanc quoque mortem totum redemiſſet mundum? Et ratio eſt, quia ſolam Crucem vitæ ſuæ centrum eſſe volebat, hanc deſiderabat, hanc concupiſcebat, atque tanquam candidatus ad eandem aſpirabat. Clarius idipſum

*D. Fulg. ſerm. de Epiph.* S. Fulgentius edicat: *Dignatus eſt in Ægyptum fugere, ut poſtea Crucem dignaretur aſcendere.* Atque ideo chalamyde ſe hoc mane veſtiat innocentiæ, ſuæque puritatis candorem exhibeat dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato*; quia cum intra paucos dies diſpenſandæ ſint Cruces, ille maximam inter illas aſſequi prætendit.

*Dionyſius Carth. ibi art. 16.* 6. Vir quidam inſignis qui ab Evangeliſta Matth. *Scriba* appellatur, *id eſt, eruditus in lege,* ut exponit Dionyſius Carthuſian. fama miraculorum ad Chriſtum attractus, eum convenit, atque ut ſe aliis in Salvatoris ſequelam aggregaret enixè rogavit, dicens: *Magiſter ſequar te, quocunque ieris.* Matth. 8. q. d. Juro per omnia ſacra, quod ſi me in tui ſectatorem & diſcipulum adoptaris, nunquam à te ſim avellendus, ſed ſequar te *Quocunque ieris,* in terra, marique, in civitatibus, villis & oppidis, in proſperis æque ac adverſis; unico verbo, ad ipſam uſque mortem inſeparabilem me comitem habebis. Enimvero quamnam hunc à Chriſto reſponſionem accepiſſe exiſtimatis? Num forte Chriſtus promptam illam ſui oblationem libenter acceptavit? Minimè gentium, quinimò turpem petitionis ſuæ paſſus eſt repulſam: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Mira profectò res: Chriſtus omni cum induſtria inquirit, ſive ut melius dicam, mendicat homines, qui veſtigia & exempla ſua vivendo ſectentur, dum illos ad ſui ſequelam nunc monet, nunc vocat, nunc rogat eiſque ſupplicat: & modò eum qui ſeſe ſponte propria ad ſe ſequendum offert, prorſus repellit? S. Hilarius opinatur Chriſtum hunc hominem repudiaſſe, quia eum infidelitate co-

*S. Hilar. in cat. D. Th. ib.* inquinatum eſſe cognoſcebat: *Infidelitatis affectum ſub diffidentia interrogationis expreſſit,* profiteri eum volens, quem ipſum eſſe non credebat, verum ſcilicet eum eſſe Meſſiam. S. Hiero-

*S. Hier. in cat. D. Th. ill.* nymus eum à Chriſto tanquam proprii commodi amantem & ſtudioſum notatum fuiſſe, utpotè qui eo tantum fine eum ſequi volebat, *ut lucra ex operum miraculis quæreret.* Ejuſdem quoque opinionis fuit S. Joannes Chryſoſtomus, dum ait: *Nam quæſtui ſerviens ille, cum Chriſtum propter multitudinem ſignorum multos undique ad ſe affluere videret, putavit Dominum inde ditari, ac ideo ſequi cupiebat.* Enimverò omnes haſce reſponſiones verè dignas eſſe fatendum eſt; veruntamen ex alio quodam ſcripturæ loco à S. Petro Chryſologo maturè ponderato, aptiſſimam propoſito noſtro reſolutionem habere poterimus. Portò Chriſtus urbem Hierichuntinam incredibili populorum turba ſtipatus perambulabat, inter quos unus Princeps erat publicanorum, qui vehementi Salvatorem videndi deſiderio ſtimulabatur, verum ſtatura adeo puſillus erat, ut præ turbæ nimia frequentia id ei eſſet impoſſibile. Quid igitur fecit? concito greſſu præcucurrit, & in viam quandam pervenit per quam tranſiturus erat Dominus, ubi commodè Sycomorum offendit, quam conſcendens in eadem permanſit donec Dominus pertranſiſſet. Salvator autem huic arbori proximus ſubſtitit, & Zachæum in arbore videns eidem ut quantocius deſcenderet præcepit. *Zachæe feſtinans deſcende.* Verum ô Domine quodnam tibi bonus ille Zachæus in arbore te videndi cauſa conſtitutus cauſavit faſtidium? cur eum quantocius deſcendere jubes? *Si bene aſcenderat* (interrogat S. Petrus Chryſologus) *quare ei dicitur deſcende?* Dionyſius Carthuſian. dicit: Arborem hanc Crucis veram fuiſſe figuram: *Sycomorus eſt arbor in foliis moro conſimilis, & in aliis ficui, ſed ſtipite diſtans, & in altitudine major, per quam ſignificatur Crux Chriſti propter mori rubiginem & ficus dulcedinem*; Et credibile eſt Zachæum in arbore erectum ſtetiſſe, manibus ad ramos extenſis ne caderet, in ſimilitudinem crucifixi. Unde Chriſtus qui crucis adeo percupidus erat, ſuſtinere diutius non potuit, ut videret Zachæum ſaltem in figura ſe in arbore quæ crucem repræſentabat prævenientem: *Præcucurrit ſervus Dominum, & ante Zachæus aſcendit arborem, quam crucem dominator aſcenderit: hinc eſt, quod dicitur ei, feſtinans deſcende.* Quo ſuppoſito reſolutionem quoque habemus, cur ſcribam illum dimiſerit, nec eum in ſe ſequentium numerum admittere voluerit, quia nimirum dixerat: *Sequar te quocunque ieris.*

7. Ultimus omnium greſſuum quos in hoc mundo facturus erat Dominus Redemptor noſter erat ille per quem ibat ad crucem; hæc enim futura erat ejus terminus *ad quem.* Atque

ideo

ideo quando Scriba dicebat: *ſequar te quocunque ieris*, idem erat, ac ſi diceret, in tua ſocietate conſtanter perſeverabo uſque ad crucem. Ad crucem? inquit Chriſtus; hæc mihi ſoli reſervata eſt, ego illam deſidero, mihi debetur, ac proinde nolo ut quietis meæ centrum tu mihi conturbes. Eſt hic quoque conceptus S. Petri Chryſologi, dum ait: *Sequar te quocunque ieris, ſic dicit iſte, quaſi poſſet cum Chriſto ſubire conflictum, ignominiam crucis adire per gloriam.*

8. Jure merito multi ſacri Scriptores admirantur, quòd Chriſtus Dominus à temerario illo miniſtro alapam ſine ulla data cauſa recipiens, acerbam de eo in eodem inſtanti non ſumpſerit vindictam, caſtigando eum, prout ejus temeritas juſtiſſimè commeruerat. Idque longanimitati & patientiæ ejus adſcribunt, qua omnes ſuas æquanimiter devorare poterat injurias, nec non magnæ ejus manſuetudini, quam in omnibus ſuis actionibus ſemper monſtravit. Unde S. Aug. ait: *Qui accepit alapam, nunquid volet, eum qui percuſſit, aut cæleſti igne conſumi, aut terra dehiſcente ſorberi, aut correptum à Dæmonio volutari, aut etiam hujus qualibet pœna, vel etiam graviori puniri? Quia horum per potentiam facere non potuiſſet per quem factus eſt mundus, niſi patientiam nos docere maluiſſet, qua vincitur mundus.* Verum ego potiori jure admirandum eſſe cenſeo, quod percutienti ſe iratus alapam hanc ſibi irrogatam ſibi gravem injuriam acceperit, dicendo: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, cur me cædis?* Conſtat etenim nobis ipſummet aliis præcepiſſe, ut in dexteram percuſſi, ſiniſtram quoque percuſſori obvertere: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Imò quod admirationem magis adauget, indubitatum eſt, quod dolor alapæ minimus fuerit inter omnes dolores, quos in totius paſſionis ſuæ decurſu unquam ſuſtinuit. Quis enim flagella ad columnam perpeſſa, ſpinas cerebrum ejus ſanctiſſimum pertebrantes, clavos in manibus & pedibus, omneſque alios dolores quos tanta cum humilitate & conſtantia toleravit uni alapæ, à miniſtro quodam ei inflictæ comparare auderet? qui igitur tot tormenta libenter & cum incredibili benignitate ſuſtinuit, tantum animi & cordis non habuit, ut unicam patienter tolerarit alapam? Latet hic ſine dubio ingens quoddam myſterium, videamus an idipſum penetrare valeamus. Refert S. Ephrem Syrus conſuetudinem fuiſſe apud Romanos alioſque gentiles, ut quando mancipium aliquod à ſervitute liberare, & priſtina libertate donare volebant, inter alias Cæremonias quas ad hoc adhibebant, etiam tali alapa infligebatur: *Omnes ſervi cum libertate donantur, alapam accipiunt.* De Chriſto igitur in conſpectu ſummi Sacerdotis vehementi alapa percuſſo, licet ei omnia ſumma cum certitudine nota atque perſpecta eſſent, nihilominus pie loquendo dicere poſſumus, quod imaginatus ſibi fuerit, Hebræos circa perſonam ſuam Romanorum adhibere cæremoniam velle, ideoque indignatus fuerit, non propter acceptam alapam, ſed propter illius ſignificatum, exiſtimans quod ſe abſolvere atque à cruce liberare vellent, quaſi diceret: Cruci tantopere à me deſideratæ nunquam adeo proximus aut vicinus fui, vos in hiſce concurrentibus circumſtantiis tam manifeſtè mihi faventibus, deſiderium meum exinanire & meo me intento fine fruſtrari contendetis? Majori cum ardore, ad centrum crucis meæ, quam flamma ad ſphæram ſuam velociſſimè decurro, & vos alapam mihi impingendo, mihi ut centrum meum aſſequar non vultis permittere? Juſtam profecto dolendi & lamentandi occaſionem habeo, dicendique: *Si malè locutus ſum teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene cur me cædis?* Unde S. Ephrem: *Siccine fortaſſe ille, qui nos verâ libertate donavit, libere effici poſſe creditus eſt? O miniſtrorum infeliciſſime, alapam quidem dediſti omnium Creatori ac Domino: ſed tu ſervus ſervorum factus es in æternum.*

*Ephrem. Syrus ſedulus l. 5.*

*Ephrem. apud Io. Speranza ubi ſup.*

9. Enimvero locus quidam Scripturæ occurrit mihi, qui iis quæ hactenus dicta fuere omninò eſt contrarius. Cùm enim de facto à nobis dictum ſit, quod *Chriſtus in cruce optabat quieſcere, tanquam elementum in centro;* qua ratione verificari poterit, quod refert S. Mat. nimirum Salvatorem noſtrum de Patre ſuo æterno dolenter conqueſtum fuiſſe, dicendo: *Eli, Eli, lammaſabacthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* quaſi dicere vellet: O Pater æterne, cur in hoc aſperrimo Crucis patibulo, in hoc vaſto tormentorum mari, me exſanguem & moribundum deſeruiſti, Quæ verba diverſimode à Patribus exponuntur, inter quos Dionyſius Carthuſianus ita loquitur: *Dicit ſe Chriſtus à Deo derelictum, non quod privatus eſſet gratia vel gloria, ſed quia tam graviter patiebatur.* Rabanus Maurus inquit. *Humana natura propter peccatum à Deo fuerat derelicta, ſed quia filius Dei factus noſter advocatus, quorum ſuſcepit culpam, deplorat mi-*

*Matt. 27.*

*Dionyſ. Carth. ibi. art. 44.*

*Raban in cath. D. Th. ibid.*

*ſeriam, in quo oſtendit, quantum flere debeat, qui peccavit, quando ſic flevit, qui nunquam peccavit.* Origenes autem exiſtimat, quod ſermo hic & exclamatio crucifixi Redemptoris noſtri, valde

Orig. in cath. D. Th. ibid.

magnis referta ſit myſteriis: *Non autem exiſtimes humano more Salvatorem iſta dixiſſe propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in Cruce: ſi enim ita acceperis, non audies magnam vocem ejus, quæ oſtendit aliquod eſſe magnum abſconditum.* Quod ſi vero ſcire jam deſideremus; qualenam hic myſterium abſcondatur, à Venerabili Beda plenam informationem capiamus, qui expreſsè dicit Chriſtum non fuiſſe adverſus Patrem lamentatum, propter intenſos quos patiebatur dolores, ſed potius ob temporis brevitatem, quo ipſi adhuc viveati in Cruce quieſcendum erat. Crucifixus etenim fuit hora tertia, inquit S. Mar-

Marc. 15. cus: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt*

Matt. 27. *eum*, mortuus autem eſt circa horam nonam: *Circa horam nonam clamans voce magna emiſit ſpiritum*; Interea tamen dicendo: *Deus, Deus meus, quare dereliquiſti me*; Quibus verbis lamentabatur coram Patre ſuo de brevitate temporis, quo ſibi in Cruce concedebatur vivere, in cruce inquam ſibi adeo chara, ab eo tantopere deſiderata & concupita, tanto labore acquiſita, & tam brevi temporis ſpatio poſſeſſa. Hoc eſt quod cuncta alia Chriſto illata martyria longè excedit: neque enim tormentum aliquod inveniri poteſt, quod huic æquari poſſit, nimirum quod tandem aliquando conceſſum mihi fuerit, ut pervenirem ad centrum, in quod omnes deſideriorum meorum lineæ terminantur & tendunt, quodque intra tres horas ejus poſſeſſionem denuo debeam amittere: *Chriſtus ex vi tormentorum ſuam mortem accelerari videns, volens diutius in Cruce pro nobis ſufferre tormenta, hanc expoſuit Patri querimoniam; Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Id eſt, Pater, cur tam cito me mori diſpoſuiſti, cur non moras protrahis, ut magis ac magis in Cruce patiar?*

10. Multa equidem dixiſſe cenſeri poſſem, niſi hactenus dicta modicum eſſent reſpectu ejus, quod adhuc ſum dicturus. Porrò Deus Iſaiam Prophetam hac eſt gratia dignatus, ut immenſam Dei noſtri Majeſtatem contemplari poſſet

Iſai. 6. in throno gloriæ ſuæ reſidentem: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum.* O te, ô S. Propheta felicem, qui quicquid Paradiſus pulchri in ſe continet conſpicere meruiſti. Felicitatem tuam tibi equidem minimè invideo, ſed infelicitatem meam ſolummodo deploro, utpotè qui ob culpas meas ad hoc condemnatus ſum, ut aliud quam humanas calamitates videre non poſſim: ac proinde rogo ut aliquo me ſolatio recrees eorum quæ vidiſti me reddendo participem. Tune à me, ait Propheta, rerum a me viſarum, aliquam tibi communicari poſtulas notitiam? Lingua mea ad id quod in illa ineffabili gloria & excellentia minimum eſt, indicandum minimè ſufficit. Siquidem extra me raptus ſum, dum beatos illos muſicos concentus tantum audire licuit: Et ideo hoc ſolum tibi dicere poſſum, quod Seraphinos obſervaverim Deo ſumma cum reverentia inſervientes: *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Hoc eſt quod in illa gloria obſervare potui, quia in illa aula regia certus quidam fumus erat, qui viſum impediebat, quo minus expeditè videre poſſem. Agedum ô ſancte Propheta, hoc ſufficit mihi, nolo quidquam inſuper interrogare, pro relatione qua me dignatus es ingentes tibi gratias refero, cum agnitione obligationis meæ qua tibi obſtringor. Etenim ô Auditores, intellexiſtiſne, quæ ab Iſaia relata fuere? Nunc viſionem hanc inter nos invicem nonnihil conſideremus. Loco illorum verborum quibus in vulgata Iſaias dixiſſe legitur: *Seraphim ſtabant ſuper illud*, id eſt, ſuper ſolium Dei, Sanctus Cyrillus Alexandrinus legit: *Stabant circum eum.* Nam Seraphici illi ſpiritus Deum circumdederant inſtar Epheborum eidem aſſiſtentes & miniſtrantes, & vere ſupremam illam excellentiam idipſum decebat. Verum enimvero obſervemus obſecro modum, quo Seraphini illi alas ſuas extenſas tenebant; ſi enim attente conſideraveritis, illos crucem quandam efformaſſe comperietis; quod ſi enim partem hujus crucis ſuperiorem videre velitis: *Duabus velabant faciem ejus:* ſi partem inferiorem: *Duabus velabant pedes ejus*; ſi alias duas, dextram & ſiniſtram, ecce duas alas, quæ volando extendebantur, una quidem ad latus dextrum, altera vero ad latus ſiniſtrum: *Et duabus volabant.* Dicite autem, amabo vos ô Auditores, Nunquid rem prodigioſiorem unquam vidiſtis? Scilicet ante faciem Regis gloriæ adeo probroſi inſtrumenti, quale crux eſt, figuram expreſſam collocari? quamnam conventionem crux malefactorum patibulum habet cum divinæ reſidentiæ ſolio? Etenim difficultatem iſtam reſolvere nequeo,

niſi

niſi aliam quandam vobis de novo propoſuero: Inter alias cæremonias quibus Sacerdos in Miſſa utitur, una eſt, quod poſt conſecrationem, dum dextera ſignum crucis efformat nunc ſuper hoſtiam, mox vero ſuper calicem, pariter dicit: *Hoſtiam † puram, Hoſtiam † ſanctam, Hoſtiam † immaculatam: Panem † ſanctum vitæ æternæ, & Calicem † ſalutis perpetuæ.* Scits utique quod tam ſub ſpeciebus panis quam vini. Chriſtus Dominus noſter contineatur; præterquam enim quod id Angelicus Doctor doceat, per fidem quoque idem profitemur: *Manet Chriſtus totus ſub utraque ſpecie.* Verum, inquies. Ergone Sacerdos Chriſto benedicit? Quis major eſt, Chriſtuſne an Sacerdotes? quis dubitat Chriſtum majorem eſſe? Qua igitur ratione fieri poteſt ut minor majori benedicat? *Minor majore præſente benedicere non debet,* inquit Durandus; Et S. Paulus ad Hebræos cap. 11. ita ſcribit: *Sine ulla contradictione, quod minus eſt à meliore benedicitur;* Convenientius igitur Chriſtus Sacerdoti benedictionem impertiretur. Quod ſi dixeris quod Sacerdos benedicat Chriſto tanquam Sacerdos, non vero tanquam perſona privata, talis namque honorificentiæ decor Sacerdotali dignitati debetur, Reſpondeo ipſum quoque Chriſtum Sacerdotem eſſe: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech,* & quidem principalis & dignior inter omnes Sacerdotes, de quo merito dici poteſt: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Ubi verum eſt, quod *ubi major eſt, minor* ceſſat, utique ab hiſce benedictionibus Sacerdoti abſtinendum eſſet, hocque benedicendi munus potius Chriſto remittendum. Rupertus Abbas Tuitienſis difficultatis noſtræ nodum ſolvit dicendo: *Non ſunt benedictiones, ſed crucis formationes.* Ecce tibi nunc in promptu hic latens myſterium: Chriſtus etenim ſub illis accidentibus glorioſus conſiſtit, veruntamen ut ita dicam, videretur Chriſto ſe totaliter glorioſum non eſſe, niſi Sacerdos inter glorias ejus dextera ſua cruces formaret; unde cum S. Hilario affirmare poſſumus: Id fieri *ut homines Sacramentum crucis admiſtum eſſe gloriæ agnoſcerent.* Ad eum modum quo de ardenter amante quodam legitur, quod dum feſtivis gaudiis intereſſet, gaudere cum cæteris minimè potuerit, ob amati vel dilecti ſui abſentiam: At ideo Seraphini illi alis ſuis crucem quandam formabant, quia tametſi Deus in ſublimi Majeſtatis ſuæ throno conſiſteret, nihilominus viſum ſibi fuiſſet, quod ad gloriæ ſuæ complementum, id quod optimum eſt, eidem defuiſſet, niſi crux ibi præſtans fuiſſet.

11. Chriſtus Dominus in monte Thabor transfigurabatur, ac proinde gloriam ſuam, quæ hactenus ad eum diem uſque in anima ejus celabatur, in corpore ſuo quoque manifeſtabat, adeo ut vultus ejus inſtar ſolis luminoſus factus fuerit: *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol.* Matth. 17. & veſtimenta ejus nive facta ſunt candidiora: *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Simul cum diſcipulis Petro, Jacobo & Joanne Moyſes quoque & Elias aderant, cum Chriſto loquentes: *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias loquentes cum Ieſu.* Marc. 9. Porro Matthæus & Marcus Evangeliſtæ, quales inter ſe ſermones & diſcurſus miſcuerint non quidem referunt, Lucas tamen idipſum unico tantum verbo ſubindicare videtur dum ait. *Dicebant exceſſum ejus quem completurus erat in Ieruſalem.* Luc. 9. Loquebantur igitur de exceſſu quodam, qualis tamen exceſſus ille fuerit, non dicit: Vulgata proinde & S. Joan. Chryſoſtomus dicit, quod *loquebantur de cruce.* Ego profectò quodvis aliud diſcurſus hujus argumentum potius mihi imaginatus fuiſſem quam quod illos de cruce locutos fuiſſe conjeciſſem. Quomodo enim in monte iſto gaudia pariter & angores, dulcedines & amaritudines, deliciæ & paſſiones, gloria & crux ſimul miſcentur? *Non enim tacebant* (inquit Chryſoſtomus) *ſed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Ieruſalem, de cruce videlicet & paſſione.* Verum quomodo ad invicem conciliari poſſunt: (Loquebantur de gloria, & de cruce: quaſi à gloria crucis, & ob gloriam crucis ſint beatæ Thaboris gloriæ.) Mirum igitur non eſt, quod ſe tanta cum anxietate crucis cupidum & avidum demonſtiarit, & hodie comparеat candicatus, utpote qui ad gloriæ illius aſſecutionem aſpirabat.

*Chryſoſt. ho. 55. in Matth.*

*Idem ib.*

*Didac. Cel. com. in Iud. c. 5. 26.*

12. Enimvero objicere quis poterit Chriſtum non deſideraſſe crucem *præciſè*, ſed in ordine ad redemptionem mundi. Et quidem quoad hoc minimè contradico, nolim tamen ut rationibus quibuſdam Theologicis in favorem crucis adferendis vos opponatis. Exiſtimant igitur ſacri Scriptores, quod priuſquam in SS. Trinitatis conſiſtorio concluderetur unigeniti filii Dei incarnatio: Pater æternus in liberam filii ſui optionem conſtituerit, ut videlicet pro ſuo beneplacito eligeret vel in Paradyſi gloria perſeverare, aut deorſum ad nos deſcendere, incarnari, noſtraque humanitate veſtiri, eumque elegiſſe

potius cœleſtes illas delitias dimittere, & ad hominem induendum in hunc mundum venire. Id

*Gregor. Naz. ap. Oecum.*

quod S. Gregorius Nazianzenus conſiderans ait: *Cui cum liberum fuiſſet manere in propria gloria & divinitate, exinanivit ſemetipſum uſque ad formam ſervi.* Ex qua doctrina manifeſtè deducitur, quod Verbum in ſua potuerit gloria conſiſtere abſque eo quod in noſtras ſeſe miſerias præcipitaret; & tamen omnino oppoſitum fecit. Veruntamen argumentum hoc ut fortius liget, arctius conſtringamus: In filii Dei libertate erat ut poſſet alterutrum eligere, ut ſcilicet in carnem vel paſſibilis veniret, vel impaſſibilis, corpori illam gloriam transfundendo, quæ in anima deliteſcebat, prouti docet Chryſoſtomi os aureum, dum ait: *Licebat illi nihil pati, ſi voluiſſet; non enim peccatum fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; erat ergo ei promptum, ſi voluiſſet, non venire ad crucem.* Et modernus quidam Theologus dicit: *Cum poſſit Chriſtus ſtatim gloriam & beatitudinem animæ ſuæ in corpus transfundere, illudque mortalitate donare, & gaudio impleviſſe, noluit tamen facere.* Sed cur? *potior namque fuit crucis amor.* In quem loquendi modum etiam Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius concurrunt. Rupertus Abbas Tuitienſis ulterius progreditur dicens, quod in inſtanti ſuæ incarnationis ei in electionem poſitum fuerit, ut mundum vel mediantibus paſſionis doloribus, vel mediis lætitiæ actibus deliciando & triumphando redimeret, relicta ſibi libera utriuſque optione: Et tamen quia videbat quod per viam lætitiæ non poſſet ſatisfacere ſuo deſiderio perveniendi ad crucem ab eo tantopere deſideratam & concupitam: ideo potius ſe pœnis & tormentis, improperiis & ignominiis exponere voluerit, ut illis mediantibus tandem aliquando ad ſuum crucis centrum pervenire poſſet; ac proinde S. Paulus Hebr. 12. dicit: *Propoſito ſibi gaudio*, quid fecit? *Suſtinuit crucem confuſione contempta.* Et ut Salmeron explicat: [Propoſuit illi Deus gaudium, ſi mallet illud, ipſe autem loco ejus, potius maluit crucem.) Ita quoque B. Patriarcha Laurentius Juſtinianus ait. (Cum videlicet poſſet non mori, & incolumitate corporis frui, aliaque ratione humanæ ſaluti proſpicere, maluit ſubire crucem.) Poterat igitur abſolutè non incarnari; Imo ſuppoſita Incarnatione carnem & corpus impaſſibile aſſumere poterat. Præterea poſt ſuum in hanc carnem paſſibilem adventum ejus arbitrio relictum erat, ut per pœnam vel per gaudium, per anguſtias aut per lætitiam, per unicam lachrymulam, vel per unicum riſum pro nobis ſatisfaceret: Et tamen crucem tanquam rem ſibi unicè chatam amplexari maluit, quam gaudia & voluptates. Unde facilè conjicitur, crucem veluti magnetem quendam fuiſſe qui Filium Dei è cœlis in terram attraxit; crux enim eum ad hoc permovit, ut ſe carne noſtra paſſibili veſtiret, utpote medio ad crucem portandam proportionato valdeque apto: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.*

*Chryſoſt. orat. 28. in Ep. ad Hebr.*

13. Ehem quanta cum lætitia & gaudio illam humeris ſuis deportabat, quando ab urbe Hieroſolymitana egreſſus, verſus Calvariæ montem procedebat! ut proinde nonnullæ piæ mulieres lachrymas continere non valentes, dum eum gravi crucis pondere onuſtum viderent, ex cordiali compaſſione amarè planxerint, & fleverint: *Mulieres plangebant & lamentabantur eum.* Luc. 23. Quod videns Dominus, eas reprehendendo flere prohibuit: *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me*; quaſi diceret: cur fletis ô mulieres, num forte quod crucem hanc humeris meis deportem? Nunquid advertitis quod lachtmæ veſtræ gaudia mea conturbent? Crux iſta currus eſt triumphalis gloriæ meæ; In hac principatus mei excellentia continetur; atque ideo in præſenti dum ad Calvariæ montem educor, majus eſt gaudium meum, quam fuerit Imperatorum in Capitolium triumphaliter procedentium: Quod ſi mei cauſa ploratis & fletis; ſignum eſt quod vel excellentiæ meæ invideatis, vel ſufficienti lumine ad illam cognoſcendam deſtitutæ ſitis: ſecus enim honoris mei gloriæ potius congaudere, & applaudere deberetis: (Ita ardentiſſimo amore crucem amavit, ut eam ſolam ex toto opere paſſionis ſuæ, tanquam rem ſibi dilectiſſimam & pretioſiſſimam elegerit, & aſſumpſerit. Non ſibi elegit gaudia, non conſolationes, non coronas & triumphos, ſed crucem ſibi inter omnia reſervavit, nec immeritò, nam ſui tanquam hominis excellentiæ ſuam à cruce habuerunt originem.

17. Portò Chriſtum Deum pariter & hominem fuiſſe, nemo eſt qui dubitet, ſiquidem Fides Catholica ſufficienter id nos à pueritia edocet, quia divinitas ſimul & humanitas ei inerat. Veruntamen dato per impoſſibile quod non fuiſſet Deus, ſicut vere & realiter Deus erat, & reſpectu ſuppoſiti divini Deus non eſſe non poterat, attamen ad eum verum Deum prædicandum, æſtimandum, adorandum ſola crux ſufficiens fuiſſet.

Quis

Quis enim ex eo quod Chriſtus cum vel in cruce videbatur, alius conceptus formari, vel quæ alia conſequentia deduci poterat, quam eſſe alicujus divini? (loquor etenim hic de innocente, non de peccatore, ſecus enim dicere poſſetis; ſimile argumentum formari poſſe de latronibus, qui cum Chriſto, vel ante Chriſtum crucifixi fuerant) atque ideo nunquam miles ille, Jeſum crucifixum vere filium Dei eſſe concluſiſſet, niſi illum in crucis brachiis ſuſpenſum vidiſſet: *Vere hic homo filius Dei erat.* Quæ tametſi ita ſeſe habeant, nihilominus idipſum vobis per quandam S. Paſchaſii ſubtilitatem, nec non per doctrinam S. Joannis Evangeliſtæ demonſtrare conabor. Solus etenim hic ſacer Evangeliſta Chriſtum crucem ad Calvariæ montem deportaſſe recenſet: *Bajulans ſibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum*: Joan. 19. omnes autem alii Evangeliſtæ crucem a Simone Cyrenæo portatam fuiſſe dicunt. S. Matthæus c. 27. enim dicit: *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* S. Marcus ait: *Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum, ut tolleret crucem ejus.* S. Lucas vero ſcribit: *Apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem & impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum.* Verum quæ cauſa eſt quod nullus præterquam S. Joannes Chriſtum humeris propriis crucem bajulaſſe affirmet? Enimvero aliam quandam ſcripturæ curioſitatem cum S. Paſchaſio obſervos interea dum hanc adduxero, præmentionatam ad partem ſeponite, & nunc moventem attentè auſcultate. Omnes etenim tres Evangeliſtæ Marcus, Matthæus & Lucas tentationis Chriſto à Dæmone intentatæ hiſtoriam recenſent. S. Joannes autem de ea nec quicquam loquitur, ſed ſub ſilentio eandem prætergreditur. Sic Matthæus c. 4. loquitur: *Tunc Jeſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo.* S. Marcus vero ait: *Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum, & tentabatur à Sathana.* Denique S. Lucas c. 4. ait: *Agebatur à ſpiritu in deſertum & tentabatur à Diabolo* S. Joannes autem hanc tentationem ne verbo quidem tangit; & tamen tentatio hæc nihil in ſe vulgare continet, ſed rem valde eximiam & Joannis calamo digniſſimam. Ergone is qui omnes filii Dei actiones minutim recenſere profitetur, hanc in qua celeberrimæ continentur actiones, & glorioſæ adverſus Dæmonem reportatæ victoriæ omnino ſilebit? Reſponſionem quæſo ſancti Paſchaſii auſcultate. Matthæus, Marcus, & Lucas illas ad Chriſtum ſpectantes actiones deſcripſerunt, quæ ab ipſo tanquam homine, emanabant: Sanctus Joannes autem curam habuit ut illas deſcriberet, quæ ad Chriſtum tanquam Deum pertinebant, ac proinde hiſce verbis ſuum orditur Evangelium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Joan. 1. En ipſiſſima ſancti Paſchaſii verba: (Quando tentabatur, quia ſecundum hominem eandem tentationem ſuſceperat unigenitus Dei, Matthæus, Marcus, & Lucas eam exponunt. Joannes autem quia divinam ejus naturam ſuſceperat explanandam, nullam de eadem tentatione habuit mentionem.) Hoc ſuppoſito ſuperius dicta denuo repetamus. Solus Joannes crucem à Chriſto bajulatam eſſe recenſet, quia crux ad ejus divinitatem pertinet. Unde quiſquis eum fidei oculo reſpexiſſet, & conſideraſſet, hoc penes ſe enthymema facere potuiſſet: ſibimetipſi crucem bajulat; Deus igitur eſſe debet. Audite S. Paſchaſii doctrinam: (Nec igitur vacat à myſterio, quod ſecundùm Joannem Chriſtus crucem ſuam ſolus portare dicitur, ſecundùm verò reliquos non ipſe, ſed alius eam portare introducitur.) Ecquænam autem rei hujus cauſa erit? (Quia Joannes divinam ejus naturam ſuſceperat explanandam.) *Idem.*

15. Nunquid igitur Dominus & Salvator noſter meritò ſe hujuſce crucis candidatum & prenſatorem exhibet, utpotè quæ unica & ſola eſt ejus gloriæ origo, quæ illi ſecundùm humanitatem ſuam debetur. Libens hoc loco encomia à ſanctis Patribus aliiſque ſacris Scriptoribus cruci attributa prætereo: Alias enim dicere deberem, quod Caſſiodorus dicit: (Crux eſt victoria Chriſti, perditio Diaboli, cæleſtium confirmatio, vita juſtorum.) Rabbanus: Tu ſancta crux peccatorum es remiſſio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, deſperatorum ſecuritas, infortunatorum felicitas.] Damaſcenus: *Crux Chriſti clavis eſt Paradyſi, ſalus animæ & corporis, bonorum omnium datrix. Ipſa eſt quæ tenebras fugat, Dæmonis regnum diſſipat.* Navis eſt, quæ gratiæ merces nobis bajulat, pons eſt per quem à ripa hujus mundi ad portum tranſire poſſumus Paradyſi: Spes eſt Chriſtianiſmi, Dux cæcorum, via deſperatorum, claudorum baculus, pauperum opulentiſſimus theſaurus, Eccleſiæ triumphus, Dux juventutis, ſenum ſecuritas, afflictorum refrigerium, anchora naufragorum, magnificentia Regum, ſcutum bellatorum,

*Caſſiodor. In Pſal 4. Rab. de lau cru. Damaſc. l. 4. de fide.*

rum, militiæ Chriſtianæ vexillum, gloria Apoſtolorum, corona Martyrum, Trophæum Confeſſorum, palma Virginum, fons ſitibundorum, vitale lignum, redemptionis noſtræ ærarium, arbor unde ſpei noſtræ flores progerminant, cathedra in qua cæleſtis Magiſter noſter viam nos edocet ſalutis, virga Moyſis, clavis Davidis, & Salvatoris candidati noſtri lectiſſima ſponſa.

16. Cùm igitur nos Chriſtiani, id eſt actionum Chriſti imitatores ſimus, cur non quoque ad ejus imitationem nos exhibemus candidatos, id eſt, percupidos crucis amatores? Nunquid ipſum nos ad id invitantem auditis? *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Lucæ 9. Verum dicet fortaſſe aliquis: Crux Chriſti nimium gravis eſt, & ponderoſa, & difficulter bajulari poteſt, unde ipſemet quoque Cyrenæo quodam ad eam portandam opus habuit. Etenim te verum dicere ingenuè fateor: veruntamen fruſtra de hoc lamentaris, neque enim Dominus noſter crucem ſuam te portare præcipit, quam humeris tuis nimis ad portandum gravem eſſe cognoſcit, ſed hoc tantùm ſuadet, ut unuſquiſque crucem ſuam humeris ſuis deportandam ſibi vendicet: *Tollat crucem ſuam.* Tu qui pauper & egenus es, crucem tuam paupertatem qua premeris agnoſcere debes, libens eam ſuſtinere, & memorare Dominum tuum te minimè opulentiorem fuiſſe. Tu qui continuæ es febri, vel prodagræ obnoxius, nec movere te potes, hanc crucem tuam eſſe agnoſcas, & patienter illam feras. Tu qui gravi te familia onuſtum eſſe experiris, eamque ſuſtentare non vales, quicquid laborando acquiris velut nihilum eſſe deprehendis, ac proinde nec unius horæ ſpatio quiete frui potes, hanc crucem tuam eſſe cenſeto, & ô quantum tibi meritum conciliabis, ſi eam læto vultu propter amorem Domini Dei tui ſupportaveris. Tu qui filium habes unicum, haud ſecus ac pupilla oculorum tuorum tibi charum ſenectutis tuæ fulcrum & baculum, ærumnarum tuarum ſolatium, ſtirpis tuæ unicam propaginem, divitiarum tuarum hæredem, ſi hunc mors tibi eripiat, quid facies, quid molieris? num fortè ob ejus occaſum deſperabis? Minimè; ſed potius hanc tibi ſpecialiter immiſſam crucem eſſe cogita, teque in divinam voluntatem ultro citroque reſigna, eique obtempera Leves & faciles cruces iſtæ ſunt, quæ proinde haud difficulter portari poſſunt; has igitur bajula; Non enim Chriſtus te jubet portare crucem ſuam, ſed tuam: Tollat crucem ſuam; Nam meam non poteris, graviſſima & ... eſt etenim (inquit Beatus noſter Thoma à Villa nova) & ponderoſa, & quam nullius puri hominis humerus portare ſuſtineat: non meam ... jungo, ſed tollat ſuam, levem, facilem, portabilem, & quæ non virili humero ſed manu ſola portari queat) Noli tibi blandiri dicendo: Chriſtum Crucem pro te & pro omnibus portaſſe, quia ut bene Chryſoſtomus advertit, tu quoque tuam portare debes: *Satis non eſt quod Chriſtus crucem tulerit, niſi tu tuam portes.* Et quidem ... inter omnes Chriſtianos Religioſi primi eſſe deberent, qui crucem ſuam, id eſt, Religionem ... portarent, crucem nimirum quæ tres habet clavos, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam. O quantum ſancta hæc crux convellitur & deſtruitur? Si enim Religioſus à ſuo ſuperiore offendatur, diei & horæ illi mox maledicere incipit, qua factus eſt Religioſus, aut primum de ea aſſumenda conſilium accepit: Si paupertas eum nonnihil moleſtet per negotiationes illicitas ſe ſubducere ſe parat, & invita eam voluntate tolerat. De caſtitate nil dico, eventus enim ſcandaloſi qui quotidiè prô dolor accidunt, ſatis apertè loquuntur: Denique quod ad tertium ſcilicet obedientiæ clavum attinet, vix unquam is in uſu eſt, dicique poteſt: *Stat pro obedientia voluntas.* Et quot ſunt Religioſi qui Crucem hanc, haud ſecus atque Cyrenæus ille portaverat, ferant? Etenim Chriſtus in Cruce ſua ſanguinem effudit, vos quoque ſecundùm ſanguinem, id eſt, pecuniam aliquam in ſubſidium pauperum liberaliter erogate.

## PARS SECUNDA.

17. Quiſquis olim veſtem albã candidatis capere tentaſſet, ſatis liquidè inſinuaſſet animum ſibi fuiſſe illos impedire, quo minus ad deſiderati muneris vel dignitatis aſſecutionem pertingere potuiſſent. Ecquid autem blaſphemi aliud faciunt, quam quod quantum eſt ex parte ipſorum, candidam innocentiæ veſtem Deo detrahere & eripere conentur? unde omittere nequeo, quin de graviſſimo hoc peccato blaſphemiæ, & contra ſceleratos & perfidos blaſphematores nonnihil & graviter quidem pronuntiem. S. Vincentius Ferrerius igitur blaſphemiam duplicis generis eſſe dicit; alia enim eſt affirmativa & alia negativa: *Affirmativa eſt, ... quando tribuitur Deo, quod ſibi non convenit,* ... ut ſi aliquis diceret, quod Deus tanquam ...

Deus corpus habeat & ſanguinem, &c. *Negativa, negando de Deo quod ſibi convenit*; Et hoc ſenſu Sennacherib Deum blaſphemavit, Deum omnipotentem eſſe impiè negans: *Non poteſt Deus veſter hoc facere, ut liberet vos de manibus meis.* Ob quam blaſphemiam morte occubuerunt de ſuo exercitu centum octuaginta quinque virorum millia: Ambæ autem ſpecies blaſphemiæ omnes in ſe continent ſuperlativos malitiæ gradus.

18. Axioma vulgare eſt inter Theologos, peccatum aliquod tantò in ſe minorem gravitatem habere, quantò majori inclinatione homo in illud propendet; ac proinde ècontra peccatum aliquod tantò graviùs cenſendum erit, quanta minor eſt in homine ad illud inclinatio qualis eſt, *Libido in ſene.* Et ratio eſt juxta Philoſophum: *Quia juvenes magis quàm ſenes moleſtantur à concupiſcentiis*; Id quod juxta ſententiam Averrois inde procedit, quia (Complexio juvenis eſt calida & humida: ſenis autem ſicca & frigida,) id quod Marcum Tullium eò permovit, ut decerneret, quod (Luxuria cùm in omni ætate ſit turpis, in ſenectute fœdiſſima eſt.) Porrò omne peccatum aliquam in ſe materiam continet quæ nos ad illud committendum inclinat, ſic enim facultates alienæ nos inclinant ad furtum, honores ad ambitionem, exiſtimatio ſui ipſius ad ſuperbiam, & ſic de aliis: Tu verò ô blaſpheme dic ſodes quid te ad Deum blaſphemandum invitet; num fortè Deus ipſe qui te creavit, teque conſervat? Minimè. Imò propter hoc eum laudare & gratias ei referre teneris: *Benefacienti benefacere dediti ſumus*; inquit Lex. Quot autem Deus in te beneficia contulit? Pro te incarnatus eſt, crucifixus & mortuus eſt; quæ quidem materia non ſolum te non inclinat ad Deum blaſphemandum, imò potius apta nata eſt ut blaſphemare volentem divertat, & tamen eundem blaſphemas; ac proinde gravius peccatum vix vales committere.

19. Chriſtum in ligno Crucis ſuſpenſum & moribundum, pro inimicis ſuis æternum Patrem ſuum exorantem audio & dicentem: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Hi autem (Luca 23.) pro quibus orabat factis eum torquebant & verbis, factis quidem eum crucifigendo, verbis autem eum blaſphemando. Obſervo autem in oratione Chuſti quod pro crucifixoribus quidem roget, non verò pro blaſphemantibus illum; dicit enim: *Quia neſciunt quid faciunt, & non quid dicant.* Nam fortè crucifixores compaſſione digni erant, non verò blaſphemi; aut fortè blaſphemi plus eum torquebant, quam alii qui eum Cruci affixerant? Aut demonſtrare voluit crucifixoribus aliqualem adhuc pœnitentiæ & ſalutis ſpem ſupereſſe, non verò blaſphemis? Hoc ſaltem certum eſſe tibi perſuadeas, inſinuare nimirum Dominum voluiſſe, quantoperè ei blaſphemia diſpliceat, & quam grave peccatum ſit: *Pro crucifixoribus enim Patrem rogat, ut ignoſcat, pro blaſphemis autem nec orat, nec deprecatur, quaſi crudeliſſimè in eum ſævirent.* Laurent. Scalab.

20. Id quod etiam ex ultima actione colligitur quam Chriſtus fecit priuſquam moreretur, nimirum ex inclinatione capitis: Inclinato capite. Ad quam verò partem caput ſuum inclinavit? ad dexteram. Cur autem non potius directè verſus pectus, vel verſus ſiniſtrum latus inclinare caput ſuum voluit? nimirum quia ex ſiniſtro laterè latro reprobus pendebat, qui eum blaſphemabat; unde tale perſentiſcebat tormentum ut cum blaſphemias audire non poſſet, ſe ab eo libenter toto corpore ſubduxiſſet, quia verò id ei clavis in Crucem affixo impoſſibile erat, ideo ſaltem caput ſuum ad aliam partem inclinavit, ne ipſum blaſphemantem audiret, q.d. Audio perfidum illum me blaſphemantem: *Unus autem ex iis qui pendebant latronibus blaſphemabat eum.* Luca 23. O quantas mihi os illud infernale anguſtias creat! O quam dirum mihi diabolica hæc lingua irrogat Martyrium? tolerare eam amplius non valeo, ideo autem meam, ne ultra audire poſſim, ſubduco: *Ad dexteram piè credendum eſt Chriſtum inclinaſſe caput, ne infeliciſſimum latronem blaſphemantem audiret,* inquit Salmeron. Alph. Salmer. tom. 1. Imò Philippus ſolitarius damnationem reprobi, & ſalutem boni latronis huic ſoli attribuit, quod ſcilicet ille blaſphemarit, hic verò minimè: *Æquales hi duo pene inventi ſunt, & in extremo pares cogniti non ſunt, nam ille in paradiſum, hic ad inferos profectus eſt, ille bonus, hic improbiſſimus apparuit. Quod ſi roges quonam modo id acciderit ſic accidit; unus horum divinitus loquebatur, alter maledicta fundebat: Et bonus ille quidem cum divino ſuo ſermone ſalvatus, alter blaſphemus cum maledictis ſuis damnatus eſt.* Philip. Solitar. lib. 1. ad Marcel in Bibl. PP. tom. 12 fol. 682 cap. 2.

21. Scio equidem varias adduci rationes cur Sol in morte Chriſti obſcuratus fuerit: ego autem omnes prætermittens, unicam à S. Hieronymo adductam hoc loco ſufficere exiſtimo: *Videtur,* inquit, *luminare majus retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem videret Dominum,* Hieron. in Matth.

*apud D.* *aut impii blaſphemantes ſua luce fruerentur.* Cælum etenim
*Thomam* blaſphemos indignos eſſe cenſuit,
*3 part. qu* qui lucem ſolis viderent, eaque fruerentur. O in-
*44. art. 2.* felices! Nunquid ſtatum veſtrum in quo degitis clarè ſatis agnoſcitis? Ad me quod attinet, damnatos vos eſſe cenſeo *ſecundùm præſentem juſtitiam*, qualis eſt anima Judæ, niſi vos emendaveritis. Porrò ex ſermone vel idiomate facilè cognoſci poteſt cujas aliquis ſit, an ſit Hiſpa-
*Matt. 26.* nus, Gallus, Germanus, &c. Unde ancilla oſtiaria Petro dicebat: *Loquela tua manifeſtum te facit.* Tres præcipuè reperiuntur Provinciæ,
*Pſalm. 83.* cæleſtis, terrena, & infernalis. Idioma Patriæ cæleſtis, *eſt lingua benedictionis. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Loquela provinciæ terrenæ, eſt de rebus terrenis tractare: *Qui de terra eſt, de terra loquitur.* Idioma inferni eſt maledicere & bla-
*Iſaiæ 8.* ſphemare Deum: *Non erit eis matutina lux, iraſcentur & maledicent Regi ſuo & Deo ſuo.* Quiſquis igitur Deum laudat, ad cæleſtem Provinciam ſe pertinere ſignificat; qui de terrenis & temporalibus loquitur, ad terræ Provinciam ſpectat: Denique qui Idiomate infernali & diabolico loquitur maledicendo & blaſphemando Deum, ſe de inferno eſſe, ſatis perſpicuè indicat. Unde S. Bernardinus de Senis ait: *Cog-*
*Bern. Se-* *noſcuntur Gallici ex loquela ſua, Allemanni ex*
*nenſ. Dom.* *ſermone ſuo: Italici ex idiomate ſuo: ſic & repro-*
*de paſſ. to-* *bi homines ex blaſphemiis ſuis; O homines infer-*
*mo 1. c. 1.* *nales! O tartarei cives! O conſocii inferorum! Cui-*
*fol. 04.* *libet veſtrum dici potuit, quod dictum eſt Petro;*
*col. 1. lit. A.* *verè tu ex illis unus es, nam & loquela tua manifeſtum te facit; omnes namque blaſphemorum linguæ, dæmonum fiſtulæ vel ora ſunt.*

22. Enimverò hoc ſatis admirari nequeo, quod Deus ab hiſce ſceleratis blaſphemari audiatur longè atrociùs, quàm à Turcis fieri poſſit, & tamen nullus ſit qui ob id illis iraſcatur, aut illos ob hoc caſtiget, vel graviter caſtigari faciat. De filio Cræſi legitur, quod is, licet natura ſive à Nativitate mutus eſſet, videns tamen militem quendam in fervore victoriæ proximius ad Patrem accedentem, & cruento gladio lethalem ei ictum infligere parantem, inſtigante filiali affectu, quo Patrem ſuum proſequebatur, in unico momento impotentiam ſuam naturalem ſuperans, ſoluto linguæ vinculo altum exclamarit: Ne Regem occidas. Et nos qui linguam ſemper ſolutam habemus, Deum Patrem noſtrum diabolicis blaſphemantium linguarum gladiis offendi frequentiſſimè audimus, nec tamen ad eos reprehendendos aut compeſcendos os noſtrum aperire conamur. Audimus quòd blaſphemiis quovis enſe aut gladio magis penetrativis cor Dei noſtri transfigant, & obmutéſcimus? Memores eſtote præcepti illius quod Deus in Levitico nobis dedit: *Educ blaſphemum extra caſtra, & lapidet eum populus univerſus.* Nunquid ad lapidandum unicum blaſphemum, decem, vel centum, aut mille homines ſufficiebant? Cur igitur ad hoc evocatur *univerſus populus*, qui ad numerum ſexcentorum millium virorum bellatorum aſcendebat, demptis ſenioribus, mulieribus, & pueris, nec non & Ægyptiis qui in eadem cum ipſi ſocietate convivebant. Reſpondet Theodoret. *Cum Deum occidere non poſſit, lingua ferit*, vulnus autem quod blaſphemus lingua ſua infligit, conſiſtit vel in ablatione boni quod habet, vel in acceleratione mali quod non habet, eſtque hoc idem quod eſſentiam divinam quantum eſt ex parte ſua, deſtruere, quæ in hoc conſiſtit, quod ſit omne bonum ſine ullo defectu: Et conſequenter, qui eſſe Deo aufert, omnes quoque deſtruit creaturas, quæ eſſe ſuum ejuſque conſervationem à Deo habent. Cum igitur omnes creaturæ per blaſphemias tanto damno afficiuntur, juſtum eſt, ut non tantum decem, centum, aut mille ſed omnes unanimiter eum lapidando de tanto malefactore vindictam ſumant. Ipſe namque Deum offendendo offendit creaturas, quæ tanquam creaturæ aliud bonum non habent, niſi quod à Deo illis provenit: Deo igitur per impoſſibile ſublato, omnes quoque creaturæ è medio tollantur, offenſo Deo omne quoque creaturarum bonum lædatur & deſtruatur neceſſe eſt. Atque ideo omnes creaturæ unanimiter eum lapident: *lapidet eum univerſus populus.*

23. Dicet fortaſſe aliquis hoc ſupplicii genus inter nos non eſſe amplius in uſu, ſed abrogatum eſſe, quod tametſi ita quidem ſe habeat, non tamen hodiedum aliæ pœnæ quibus blaſphemi exemplariter caſtigentur, deſunt. Lex etenim civilis determinat, quod *Blaſphemus ultimo ſupplicio debet puniri.* Suſpendantur igitur alii in patibulis, aut vivi etiam comburantur, eorumque cineres vento tradantur, ut ne nomen quidem amplius ſuperſit. Num forte ſupplicium iſtud ſeverum & rigidum nimis eſſe exiſtimatis? Ego autem audacter affirmo illud reſpectu ingentis ſui demeriti nihil eſſe. Porrò Pius V. felicis recordationis Bullam quandam edidit, qua

decre-

decrevit, quod ſi blaſphemator ſpectatæ conditionis aut nobilitatis vir eſſet, prima vice 25. ſcuta mulctæ loco penderet, ſecunda quinquaginta; pro tertia vero vice centum: Quod ſi autem hanc pecuniam pendere facultates ſuas ſuperarit, eo quod blaſphemans homo vilis ſit, prima vice alligabitur in die aliquo feſtivo per totum diem ad fores Eccleſiæ manibus poſt tergum vinctis: ſecunda vero vice fuſtigetur per civitatem; quod ſi vero ſpretis hiſce pœnis tertia vice blaſphemiam reiteraverit, lingua ei exſcindatur, atque ad triremes condemnetur utpote quæ vivus quidam eſt hujus vitæ infernus, quem proinde veluti pignus quoddam accipiat inferni ſubeundi gehennalis in altera vita. Quod ſi autem blaſphemator ille religioſus fuerit; prima vice privetur fructibus per annum, ſecunda vice omnibus fructibus: tertia vero vice omnibus exuatur dignitatibus Eccleſiaſticis. O ſi hæ leges obſervarentur, utique non tot audirentur horrendi blaſphematores; interim quæ in hac vita non habuerunt ſupplicia duplicabuntur & multiplicabuntur in altera. Enimvero de S. Macario legitur, quod per deſertum obambulans quoddam hominis mortui cranium ſive calvariam invenerit, quod cum interrogaſſet, cujusnam hominis eſſet, reſpondit ſe hominis alicujus pagani caput eſſe, cui Macarius mox aliam quæſtionem ſubjunxit, nimirum in quonam inferni loco anima illius pagani detineretur, reſpondit hanc eſſe in barathro quodam Inferni adeo profundo, quanta eſt profunditas ſive diſtantia cœli à terra: quod *non intelligitur per diſtantiam localem, ſed per immenſitatem pœnalem*, Replicavit denuo S. Macarius, num animæ aliquæ in inferni profundiori loco conſtitutæ eſſent præ ipſis? ad quod affirmativè reſpondit, nimirum animæ Hebræorum qui Prophetias habuerunt, nec tamen illis crediderunt: Interrogavit denuo Macarius, ſi adhuc profundior locus ſupereſſet, & quænam in eo animæ ſervarentur reconditæ? Reſpondit iterato affirmanter, in eoque detineri animas malorum Chriſtianorum: *Qui Deum blaſphemaverunt*. Unde deducitur, nullum ex omnibus damnatis majora perpeſſurum eſſe in inferno tormenta, quam ſint ea quæ paſſuri ſunt blaſphemi. Blaſphemia ô quam horrendum & execrandum vocabulum! Blaſphematores! deterius nihil dici aut nominari poteſt.

*D. Vinc. Ferr ſer. 5. poſt ram. pal. ſer. 1. f. 181. co. 3.*

---

## SERMO XXIX.

# IN FERIAM SECUNDAM

## DOMINICÆ PASSIONIS.

*Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Joan. cap. 7.

1\. OMNE agens quod operatur *vel ex deliberatione voluntatis, vel ex neceſſitate naturæ*, finem aliquem intendere certiſſimum eſt, ſive ille proximus ſit, ſive remotus, ſive intermedius, ſive ultimus. Unde Philoſophus occaſionem ſumpſit aſſerendi, quod *Omne agens agit propter finem*. Scintillans & rutilans flamma adinſtar bene formatæ & elaboratæ pyramidis in altum erigitur, & tametſi ſe tanquam famelicam detineat in depaſcendis combuſtibilis ſui alimentis, nihilominus videtur, quod per inſtinctum naturalem noſtram humilitatem dedignetur, & aliud nihil ambiat, quam ut ad ſtellas uſque ſublimari poſſit. Tandem alis deſiderii inſtructa, quaſi inviſibilis facta ab oculis noſtris diſparet, & per apertas aëris ſemitas aſcendit, ſuiſque ſplendoribus veſtita extrema conatur ut in paternæ habitationis reſidentia deſiderata perfrui quiete poſſit: *Ut quieſcat*. Tu ô Roma vides quod hoc amœniſſimo totius anni tempore, quò pulcherrima Flora in ridentium pratorum agrorumque virore delitiatur,

*Ariſtot. 2. Phyſic.*